

[Faint, mostly illegible handwritten text in a medieval script, likely Gothic or similar, covering the majority of the page. The text is arranged in several columns and includes some red initials and underlines.]

Communicata
in decem



M-s. 1297

an f.

R

2197.6

F. A. H. Maxß
1831 oho

E L E G I A
 DE ADVENTV
 IN PRVSSIAM ET CI-
 VITATEM DANTISCVM SE-
 RENISSIMI AC ILLVSTRISSIMI PRIN-
 CIPIS AC DOMINI, DOMINI IOHANNIS,
 Ducis Finlandiæ, Regnorumq; Sueciæ, Gothiæ,
 Vandaliciæq; hæredis.

ADIECTA SÛNT ET
 ALIA QVÆDAM IN HONOREM
 Regiæ apud Suedos Familiæ.

AVTORE
 HENRICO MOLLERO
 HESSO.

REGIOMONTI BORVSSIAE
 Excudebat Ioannes Daubmannus,
 Anno 1562

*Clarissimo viro, doctrina, virtute et sapientia
 præstanti Dno M. Sebastiano Theodorico,
 Academiae virebergenfis professori, Dno
 suo colendo moltheris mittit.*



B L E G I A
DE ADVENTU
IN PRUSSIAM ET CI-
VITATEM DANTISBOV M BR-
EMISSIMI AC ILLVSTRISSIMI PRIN-
CIPIS AC DOMINI, DOMINI IOHANNIS
DUCIS SILESIÆ, REGNI PRUSSIÆ, SUEVIÆ, GOTHIÆ,
VANDALIÆ, HUNGARIÆ.

ADLECTA SINT ET
ALIA QUÆDAM IN HONOREM
Regis et eiusdem Familie.

AUCTORE
HENRICO MOLLERO
1720.

REGIONOMONTI BORVSSIÆ
Pachet bei Lomnae Dantiscum
Anno 1722



E L E G I A

DE ADVENTU
IN PRUSSIAM ET CI-
VITATEM DANTISCVM SE-
RENISSIMI AC ILLUSTRISSIMI PRIN-
CIPIS AC DOMINI, DOMINI IOHANNIS,

Ducis Finlandiæ, Regnorumq; Sueciæ, Gothiæ,
ac Vandaliciæ hæredis. Scripta ab

HENRICO MOLLERO

HESSO.

VT sacer illustri mensis uexisset ab ortu
Supra tersenos Iunius, octo dies.
Et Soliam medijs torreret brachia Cancræ,
Et nox inciperet longior esse die.
Carbasæ Funnonicum sunt multa uolare per æquor,
Et Boreæ tumidos pandere uisa sinus.
Ac præterlabi resonantem fluctibus Helam,
Quæ placida naues in statione locat.
Adq; tua obliquis excursibus ostia ferri
Istula Sarmatici diues alumne soli,

a ij Ac

Ac ibi de prora tandem demittere funes,
Ut teneat fessas anchora iacula rates.
Quarum magnificam dum littoris accola molem
Suspicit, excelsas dinumeratq; trabes.
En Frigor horrendo resonabilis intonat iclu,
Et iacit innumeros machina abena globos.
Contremuit tellus, mare ferbuit, horruit æther,
Non secus ac nubes fumida rupta foret,
Claraq; flammanti sparsisset fulgura coelo,
Vibrassetq; graui fulmina torta sono.
Aduolat in Gedanum fidus citò nuncius urbem,
Finnoniæq; refert applicuisse Ducem.
Eximium uirtute Ducem famaq; Iohannem,
Magnifica patri dexteritate parem.
Gostauo patri, qui sceptrum Suëdica gessit,
Quiq; tulit populis iusq; piunq; suis.
Illum textilibus uenisse per æquora uelis,
Aere cauoq; graues eiaculasse globos.
Prussiacosq; lares tali donasse salute,
Publicaq; aduentus signa dedisse sui.
Excellentis igitur meritis & honore senatus,
Qui summum Gedano munus in urbe gerit.
Præstantes uirtute uiros, & nomine claros,
Ad Codanum læta mittit ab urbe sinum.

Ut

*Vt placidis talem uerbis Heroa salutent,
Littoris in partes excipiantq; sui.
Hic illi uirides deuecti naue per undas,
Exhibito faciunt munus honore suum.
Xenia cumq; Duci solenni more tulissent,
Gratati incolumes per mare triste uias.
Ipseq; Dux facili responsa lepore dedisset,
(Vt simul eloquio iudicioq; ualet.)
Adlutum tormenta uomunt flammascq; globosq;
In propugnaclica statione iacent.
Concutiuntq; auras, ut littora curua resultent.
Et tremat horribili concita terra sono.
Vt solet, undosis ubi feruens nubibus æther
Eiaculat sæuo fulmina plena metu.
Istula feruentis conterritus impete ponti,
Atria stagnantis clausit aquosa uadi.
Et caput electro, muscoq; uirente coruscum
Extulit, & circum lumina clara tulit.
Vtq; senex tanti cognosceret orsa fragoris,
E barba teretes excutiebat aquas.
Adq; Ducem uertens uirides uligine uultus.
Edebat tales ore madente sonos.
Salue magnorum sanguis clarissime Regum,
Finnonici salue Dux generose soli.*

A iij Tunc

Tunc uir ille potens genere & uirtute Iohannes:
Tunc per Arctioas Dux sacer ille plagas.
Gostauo Suconum quem Margaritis inclyta Regi
Edidit illustri foemina clara toro?
Tunc Dux ille, Duces qui uincere dicitur omnes
Uirtute, ingenio, pecclore, Marte, toga:
Cuius honoratum cupido decus ore loquuntur,
Qui portus intrant ostia cunctq; mei.
Remige dumuarijs huc allabuntur ab oris,
Quas adit effusis Rhenus & Albis aquis.
Sequanaq; & Ligeris, spumantis & unda Garumnae,
Et tu cum rutilo diues I bere T ago.
Oderaq; Scaldisq; ferax, tumidusq; Visurgis,
Quiq; Britannorum T amesis arua secat.
Londinumq; rigat, cunctis mansura diebus,
Laudis ubi & generis stant monimenta tui.
Felix ille dies, quo te laetantibus undis,
Excipio, uultus intueorq; tuos.
Gratulor incolumem te T ethyos isse per undas,
Et mare nauigijs mite fuisse tuis.
Et precor aethereum, cui parent omnia, Regem,
Te sinat ut Pylis secla uidere senis.
Ut cum fratre tuo, Suedorum Rege potente,
Cumq; meo unanimes Rege sequare uias.

Vt

*Vt simul infestis meditantibus bella Ruthenis,
Triste iugum trepidis excutiatis agris.
Quos petit iste latro uiolentis impiger armis,
Multiplicans acri funera seua manu.
Ruraq; deuastans, miseræq; noualia plebis,
Exurensq; humiles igne furente casas.
Quod nisi uos hostem, uos o tria fulmina Martis,
Viceritis: quid non perfidus hostis aget?
Victor aget captum prædas impune per orbem,
Imperio uestri quem tenuere patres.
At me uestra nisi uirtus & gloria fallit,
Perfidiaæ pœnas turba profana dabit.
Vltricesq; manus, & equestres sentiet hastas,
Cum rumpet lentas nobilis ira moras.
Cum uestræ poterunt non ferre diutius aures,
Singultus patrij moestaq; uota soli.
Cum non ulterius poterit frons uestra tueri,
Vastari miseris arua domosq; modis.
Occidiq; senes, cogiq; rapiq; puellas,
Terreri grauibus regnaq; uestra minis.
Sic igitur castris exutum & uiribus hostem,
Ad Tanaim uestris usq; premetis equis.
Magnanimoq; truces cogetis Marte Rutenos,
Subdere seruili colla superba iugo.*

Tunc

Tunc pro uirginibus castis, uiribusq; tuendis
Gessistis ualida quod pia bella manu.
Imponet uestris uictoria leta capillis
Facta puellari laurea ferta manu.
Hanc precor, hanc opto, roseo ne differat ortu
Tuboni coniunx aurea ferre diem.
Dixit, & illimes iterum se mersit in undas,
Et plausum ripæ pars utriusq; dedit.
At celebri Princeps exceptus ad ostia tecto,
Non Gedani extemplo moenia celsa subit.
Sed plures sinuosa dies ad littora cessat,
Et uidet æquoreas appropere rates.
Ac propugnaculi noua fundamenta locari,
Succinaq; in refluxo clara nitere mari.
Lintribus interea cupida descendit ab urbe,
Ut uideat tantum plurima turba Ducem.
Ipseq; congressus cum Principe Constantinus.
Ferberius, patriæ maximus urbis honos:
A Duce consequitur memorandos Consul honores,
Solutus ad illius dum sedet ipse latus.
Supremumq; uale dum crebra tonitrua claudunt,
Ad resonas Mauors quæ iaciebat aquas.
Sic igitur Princeps remoratus ad ostia, causa,
Ut per aquas multi deueherentur, erat.

Dum

*Dum tandem felix ab alacri Iulius ortu
Eucheret decimum fronte micante diem.
Tunc rumor totam compleuit publicus urbem,
Hac ingressurum moenia luce Ducem.
Pars igitur pedibus, pars obuia facta carinis.
Quæq; manet, plenas obsidet illa uias.
Vel diffusa foro, uel stat collecta fenestris,
Vel iacet in tectis, uel sedet ante fores.
Lumina uenturi Ducis, oraq; clara uidendi
Seligit accliuem spe sibi quisq; locum.
Hoc olim studio, desiderioq; tuendi
In Ducis occursum Roma superba ruit.
Sic fora compleuit, sic compita densa uiarum,
Sic uigil ante domos hæsit & ante fores.
Si celebrem uictis tulit hostibus ille triumphum,
Gloria si latio milite parta fuit.
Dux igitur Gedanum tandem subiturus in urbem,
Conscendit pictæ transtra superba ratis.
Quam noua purpureo ceu fornice uela tegebant,
Aduersus radios Solis, & imbris aquas.
In puppi nitido uexilla colore uolabant,
In quibus agnati signa decoris erant.
Nempe Corona triplex, speciesq; expansa Leonis,
Qui tria sublimi crure fluenta subit.*

B

Accipit

Ancipitemq; uibrans ursus spectabilis ensem,
Cui duo splendenti sidera luce micant.
Et galea insignis, quam duplex lancea transit,
Vertice sub quarum bellica signa uolant.
Quæ uelut in medio circumdant pectore fasces,
Qui tandem dignos obtinere gradus:
Regificos fasces, & amoena fronde uirentes,
Quos gerit in clypeis stirs V uasiana suis.
Ast cum iam celerem soluisset nauita cymbam,
Remige spumantes iamq; moueret aquas,
Horriser ignitis percussus glandibus aër
Intonat, ac uehemens undiq; turbo ruit.
Scilicet instructas armis & robore classes,
Istula tranquillis excipiebat aquis.
Quæ uarijs tulerant merces à gentibus amplas,
Mirandæq; graui pondere molis erant.
Ex illis uexilla sinu splendente uolabant,
Edebantq; graues tympana pulsa sonos.
Cumq; propinquaret celeri Dux remige uectus,
Fundebant rapidos igne sonante globos.
Stridentiq; solum quatiebant murmure & undas,
Ceu solet, ex supera cum tonat arce Deus
Hac igitur pompa letam conscendit ad urbem.
Altaq; conuexi tergora pontis adit.

Hic

Hic insignis equus phaleris ac robore stabat,
Mandebatq; agiles ore sonante lupos.
Occupat hunc Princeps saltu, iamq; emicat alte,
Iamq; leui ingreditur moenia aperta gradu.
Ac præbet toti spectacula dulcia turbæ,
Dum memor huc illuc lumina blanda iacit,
Dumq; salutantes simili resalutat honore,
Denudans capitis tempora culta sui.
Eois nitidus gemmis, insignis amictu
Arte laborato, diuitijsq; graui.
Omnis eum populus defixis spectat ocellis,
Hæreat ut menti talis imago suæ.
Omnis eum sexus prolixis laudibus effert,
Quodq; suis laudet uocibus, omnis habet.
Hic claros oculos, frontem probat ille modestam,
Huic uestes, illi barba genæq; placent.
Alter ait, grauitas ex gestibus emicat, alter,
Talis in eximia est sobrietate color.
Omnia quis populi referat præconia? non est,
Quo uondicatur præditus ille, bonum.
Idq; uellarum uox ista fatetur: in illo
Oblitum perhibent qua nihil esse Deum.
Vox populi, uox ipsa Dei est. Dux inclyte cunctis
Corporis ac animi dotibus ergo uales.

B ij

V t̄q;

Vtq; tua cum laude queas his dotibus uti,
Stantis in orbe Deæ dat tibi plenus amor.
Ad pompam redeo. Tua quo clarissime Princeps
Facta canam iusto carmine, tempus erit.
Quattuor à pedibus spectandi & murice & auro
Contiguum iuvenes ingrediuntur iter.
Bisdemq; simul custodes corporis astant,
Atq; gerunt humeris bellica gesa suis.
Turba ministrorum sequitur, præcedit, & ambit,
Quiq; decus patriæ nobilitatis habent.
Tres etiam magna Comites ex stirpe sequuntur,
Lumina regnorum conspicienda trium.
Sauromatum laus Tenschinius, Sueonumq; Sturæus,
Et Comes Alpinis Arcius ortus Auis.
Et sex conspicuis Equites calcaribus auro,
Quos Sueonum tellus Finnonicæq; tulit.
Consilijs decreta bonis, rebusq; seueris,
Imminet illustri Curia sacra foro.
Artifici constructa manu, præciosaq; turris,
Ex illa rutilum mittit ad astra caput.
Tibia multiplici uariata foramine dulces
Edit Apollineis flatibus inde sonos.
Inclitus hac pompa Dux per plateasq; forumq;
Pergit, ad hospitium continuatq; uias.

Cumq;

Cumq; foret non inde procul, lituiq; tubæq;
Tympanaq; argutis ter sonuere modis.
Ipseq; iam descendit equo, ciuesq; salutat,
Magnificæq; subit limina celsa domus.
Hic Consul præsignis Eques Preuteius auro,
Tresq; fide celebres & gravitate uiri,
Selecti è medio per idonea uota Senatu,
Stant inculpatis gestibus ante fores.
Vestibuloq; Ducem placidè amplectuntur in ipso,
Inq; domum prompta sedulitate uehunt.
Aduentumq; ipsi Gedanum gratantur in urbem,
Et quæ præterea publicus usus habet.
Ast Dux cum breuiter, cum respondisset amice,
Officia eximie cuncta placere sibi.
Seq; probare animum populi, studiumq; Senatus,
Ac cupere, hunc læta surgere fronte diem.
Quo sese illorum memores ostendere possint
Quicumq; à Sueonum Regibus orsa trahunt.
Insequitur murmurq; uirum, clangorq; tubarum,
Congressusq; bona soluitur omnis Aui.
Iamq; dies Vrbs læta decem conspexerat Aulam
Principis eximia dexteritate regi.
Bellicæq; ediderat uario spectacula Marte,
Quem gladiatorum lubrica turba mouet.

B iij Cum

Cum Rex ille potens, quo non generosior alter
Sceptra tulit regni Sarmatis ora tui,
Ille Sigismundi patris, Augustiꝫ uerendum
Nomen habens, patrij firma columna soli,
Heroes Gedanum claros legaret in urbem
Optato expositum regia corda Duci.
Sauromatumꝫ ipsi gratatum nomine regni,
O grauis à tanto Rege profectus honor.
Hi ditionis erant, animoꝫ & corpore & ortu
Laudeꝫ præcipui, Prussia clara tuæ.
Consilijsꝫ uiri celebres, linguaꝫ disertis,
Ceu iactat Pylum fama fuisse senem.
Alter erat senior totius Achatius oræ,
Qui decus est generis stirps Zemiana tui.
Quem Mariæburgum, quo nullum Prussia castrum,
Imò uix totus firmitus orbis habet.
Rite palatiuum, ceu Prussia tota, salutat,
Sarmaticisꝫ suum nomine Regis amat.
Alter erat præstans genere & uirtute Iohannes,
Gloria Costcanæ summaꝫ fama domus.
Qui Castellani titulos, & munus, & amplum
De te, Dantiscum nobile, nomen habet.
Hi cum splendenti ueniunt Equitum comitatu,
Ac obeunt Regis iussa uerenda sui.

Sicꝫ

Sicq̄; Duce[m] excipiunt, sicq̄; excipiuntur ab ipso,
Ut modus haud possit uersibus iste cani.
Pluribus insonuit solennis pompa diebus,
Et strepitus mota grandis in urbe fuit.
Interea uigiles non ducunt ocia Musæ,
Carmen ad Aonias sed meditantur aquas.
Carmen honorificum, tanti quod ad hospitis aures,
Commoditas fuerit si data forte, canant.
Illo quod coram modulentur Principe, ab illa
Quem non auersi pectoris arte sciunt.
Magnorum quæ sola uirum præstantia facta
Libera ab informi reddere morte potest.
Ad serosq̄; sua transmittere luce nepotes
Et facere æternis laudibus illa uehi.
Cum iam læta quies igitur remear at in Aulam,
Et grauior placida cesserat urbe fragor.
En hilares ueniunt Ducis ad penetralia Musæ,
Et facili tangunt plectræ sonora manu.
Cumq̄; Ducis iussu, quia nouit amatq̄; Camœnas,
Admissee uultus ipsius ante forent.
Præfata inclinant uenia, uultuq̄; pudico,
In tales redigunt uerba canora modos.
Inclite Dux, Regum sanguis, fortissime Princeps,
Finnoniam patria qui pietate regis.

Nos

Nos alacri canimus deuotas pectore laudes,
Qui mare, qui terras, qui regit astra, Deo,
Quod te per rapidas uiolentis fluctibus undas
Prussiæ saluum duxit in arua soli.
Carminibusq; pijs, uotisq; precamur anhelis,
Viueret ut incolumem te uelit ipse diu.
Et conferre tibi, quæcunq; requiris & optas,
Nec tua in effrenes spargere uota Notos.
Te quoq; solenni uehimus Dux optime laude.
Afficimusq; graui nomen honore tuum.
Quod cum sis alto de sanguine natus auorum,
Regia qui forti sceptræ tulere manu.
Cum præstes opibus, cum membris principe dignis,
Cum sis in magna Dux regione potens.
Cum pacis uarias & belli noueris artes,
Cum pelago & dubia sis agitatus humo.
Cum Dux nobilibus tantus sis deniq; factis,
Vix hodie illustri quantus in orbe manet.
Non minus Aoniæ latices & numina rupis
Diligis, & placida fronte manuq; iuuas.
Quod ueterū exemplo Regumq; Ducumq;, Camœnas
Ingenuis aliquid dotibus esse putas.
Nec facis ut multi, Regesq; Ducesq;, Camœnas
Qui nihil ingenuis artibus esse putant.

Scisq;

Scisq; ideo sacras istos contemnere Musas,
Quod nihil, a Musis quod celebretur, agat.
Quod non ut seculi Regesq; Ducesq; prioris
Nosse, sciant, artes, Principis esse decus.
Tu uero clarijs cum sis uersatus in hortis,
Sertaq; nobilibus legeris inde comis.
Ac ita pierij biberis Carchesia fontis.
Quattuor ut linguis rite sonare queas.
Resq; sacro facias & feceris impetetantas,
Quas uigil Aonidum carmine turba canat.
Has etiam reuerenter habes, harumq; ministris
Vatibus, Augustus fers uelut alter opem.
Nam Deus ut dedit ipse tibi fortunaq; neruos,
Vt facile Aonidum sacra iuuare queas.
Sic animum natura dedit generosaq; uirtus,
Vt cupide Aonidum sacra iuuare uelis.
Nos igitur laudes canimus tibi, teq; monemus,
Vt similis pergas & tibi & esse patri.
Quem quodq; scis Musas fouisse, sacrosq; Poetas,
Indeq; laudati Regis habere decus.
Sceptraferum fratrem, cui Suecia paret, Ericum
Cernis ad hoc alacri tendere mente decus.
Num fratriq; patriq; bonis uirtutibus impar,
Proximus a tantis Regibus, esse uelis?

C

Imò

Imò ut Gostauì genus, & noscaris Erici
Frater, in hoc Princeps ambitiosus eris.
Hæc est ambitio laudabilis, altaq; uirtus,
Quam Deus & ratio, posteritasq; probant.
Nos quoq; , ceu patrisq; tui, fratrisq; Coronæ,
Sic erimus gratæ Dux generose tibi.
Nam laudes, quibus ornasti patriamq; genusq;
Et graue, quod nullo crimine nomen, habes:
Atq; insigne decus, tibi quod uirtute parasti,
Per nos hæc rapidæ libera mortis erunt.
Ne tenebris inuoluantur deformibus olim,
Ceu, genio Aonidum quæ caruere, solent.
Illa secuturis nos consecrabitur annis,
Posteritas sileat ne decus ulla tuum.
Sed, quoties fuerit præstantum facta uirorum
Mentio, Pierias qui coluere Deas,
Cæsaris Augusti, Pellæi Principes, imò
Gostauì patris Dux memorande tui.
Ex priscis aliquis tua facta recenseat annis,
Te merito tantis annumeretq; uiris.
Et dicat. Dux Finnoniæ Sueonumq; Iohannes,
Non minor Augusto Cæsare cultor erat.
Pellæo similis iuueni, similisq; parenti,
Gaudeat ætherea iunctus in arce Deo.

Auspicijs

Auspicijs de te nostris hæc fama sonabit,
Cum tu iam patribus funere iunctus eris.
Sed quid pollicitis te Dux præclare moramur?
Tu modo sis nostræ conditionis amans.
Et re nos memores tibi declarabimus ipsa,
In thalamos ueniet cum noua sponsa tuos.
Hic modo finis erit: clementi ut sæpius aure
Accipias posthac carmina nostra. Vale.
Desierant Musæ. Dux annuit ipse, sibiq;
Hæc placuisse, notam fronte manuq; dedit.

FINIS.

C ij Ses

SEQVUNTUR
ALIA QVÆDAM IN
HONOREM REGIÆ
APVD SVEDOS FAMILIÆ
SCRIPTA.

AB

HENRICO MOLLERO
HESSO.

ANNVS ET DIES CORONATIONIS D.
Gostai Suedorum Regis.

*QVæ VICINA t Vas IVni sVbit optIME Nonas,
In GothICIs perstet LVx ea saCra pLagIs.
TotIVs Ista tVLIt per Vota potentia regni
Gostao patriæ regla frena patri.*

IN IMAGINEM EIVSDEM.

*Cernere depicta qui vis sub imagine Regem,
Quo non sub gelido clarior axe fuit.
Aspice Gostai referentem membra tabellam,
Ac dices: Regem tam bona forma decet.*

IN

IN EANDEM.

Ille quis est cunctis spectabilis artibus Heros,
Ardua Maestas cuius in ore sedet.
Hic est Gostavi Sueonum Rex: cætera summis
Laudibus extollens nouit uterq; polus.

IN EANDEM.

Ex gestis animos Gostavi collige rebus,
Illius hic tantum regia membra uides.
Tales Heroum uultus, barbæq; fuerunt,
Est neq; Rex ullis Regibus ille minor.

IN EANDEM.

Ille quis est specie reliquis sublimior, ora
Cuius amica bonis, atq; seuera malis?
Rex est Suedorum: satis hæc dixisse, quis amplo
Nobile Gostavi nescit in orbe decus?

ANNVS EXPEDITIONIS EIVSDEM
contra Moscos.

FINNONICAS REX SVECVS ablt Gostavs adoras,
Væ nVnC ô Capltl CrV de RVtenc tVo.

C ij AN.

ANNVS ET DIES OBITVS
eiusdem.

Vt LVX AngeLICæ fVLgeret saCra CohortI,
GostaVs SVconVM ReX, V IglI, ara, perIt.

EPITAPHIVM EIVSDEM.

*Tristis ad hoc summo prostrata dolore sepulchrum
Suecia lugubri fronte sinuq; iacet.
Et miserè lacerata genas, lacerata capillos,
Effundit tales uoce gemente sonos.
O dolor, ô lachrumæ, cecidit ter maximus Heros,
Hei cecidit regni firma columna mei.
Ille potens animi donis & corporis Heros,
Gostauî meritò cui graue nomen erat.
Namq; Dei baculus, tutò quo nixa tot annos
Sustinui uariæ nubila sortis, erat.
Non sublime genus, non cor uirtutibus ardens,
Corporis hîc amplum non memorabo decus.
Non sinit hæc memorare dolor: neq; uiuere quenquam,
Qui neget his illum præualuisse, puto.
Iam breuiter, quibus ille uiros excelluit omnes,
Quattuor hæc tantum me recitare iuuat.*

Ino

Incolumi Sueones quod libertate fruantur,
Erepti laqueis seruitijq; iugo,
Quo Rex iste ferox, diraq; tyrannide notus,
Suppressere Arctos instituebat opes.
Quodq; repurgatis ab iniquo crimine templis,
Papa salutiferas quo cumularat opes,
Nunc Suecas oracla sonent diuina per oras,
Christus ut ex patris protulit illa sinu.
Quodq; ego Reginae nunc ardua iura tueri,
Nauigijs, opibus, robore, Marte, queam.
Deniq; Suediaco quod sim de sanguine Regum,
Atq; cohæredes post habitura Duces.
Hæc Gostæue Deus mihi te dedit auspice: Maius
Quid potuit cuiquam splendidiusq; dari?
Hic igitur tua membra quidem defuncta quiescunt,
Inq; sinum mens est sancta reuersa Dei.
Sed, Rex diue tuus, nullo uiolabilis æuo,
Floridior Lauri fronde, uigebit honos.

EPITAPHIUM CATHARINAE SAXONICÆ,
Suedorum Reginae.

Hic Catharina iacet, Princeps amplissima, quondam
Quæ Sueonum coniunx inclita Regis erat.

Saxonica

Saxonica fuit orta domo, Duce patre, Leonis
Ad castrum, famulas cui uehit Albis aquas.
Ex Gelpis genitrix erat illius edita, clarum
Ipsa parente tulit sic ab utroq; genus.
Vtq; domo praestans, ut auitis laudibus ingens,
Sic multis animi dotibus ampla fuit.
Tota salutiferæ pietatis amore flagrabat,
Et solidæ cultrix religionis erat.
Solius in Christi meritis hærebat, in illo
Ponebat fidei robora firma suæ.
Quin & civili uirtutum lumine fulgens,
Ornabat generis signa uetusta sui.
Temperie præstans animi, dulcedine morum
Suavis, & innocuo pectore mitis erat.
Afflictis senibus, uiduis moerentibus, orbis
Virginibus, gratam prompta ferebat opem.
Et populi constanter amans, Regisq; mariti,
Huius & illius mutuus ardor erat.
Non animi siquidem tantum uirtute uigebat,
Nec roseæ tantum laude pudicitiae.
Sed quoq; formoso spectabilis ore nitebat,
Aurea stellanti sicut in arce Venus.
Et licet haud multos cum coniuge uixerit annos,
In medio ætatis flore perempta suæ.

Non

*Non tamen occubuit sine laude parentis, Ericum
Suediaci peperit spemq; decusq; soli.
Et nunc communi Sueonum tumultata dolore,
Spes quibus illius funere magna iacet,
Reginas inter pietatis laude perennes,
Parte sui in coelis nobiliore sedet.
Nomen at in terris uirtutum nomine clarum
Liquit, & huic tumbæ membra caduca dedit.*

ANNVS OBITVS EIVSDEM.

*SangVine SaXonICO, GostaVo ConIVge, ERICO,
Insignisnato, Iam Catharina Lacet.*

ALIUD.

*Nata, MarIta, parēs, seLIX patre, CōIVge, proLe
An tVa CLara tegl LaVs Catharina qVeat?*

EPITAPHIVM MARGARITAE
Suedorum Reginae,

*Gostavi Sueonum Regis clarissima coniunx
Margaris, hic tristi morte soluta iacet.
Edita Suecorum ueteri de sanguine Regum,
Margaridos merito nomine dicta fuit.
Namq; sua patrias nituit uirtute per oras,
Ut per inauratum gemma monile nitet.
D Præcipue*

Præcipue pietatis amans, operumq; sacrorum,
Nil uera melius religione tulit.
Mortis & expertem se Christi morte futuram
Credidit, & tali reddita iusta fide est.
Hancq; fidem rebus, studijsq; probauit honestis,
Auxilijs inopum prompta leuare uicem.
Mater erat populi clemens & amabilis, altum
Non ob Reginae facta superba decus.
Et uitæ & morum grauitate uerenda decenti,
Luxus & litis nequitiaq; fugax,
Laudibus æquauit ueteres Heroidas amplis,
Et tam magnifico coniuge magna fuit.
Quem ueluti coluit flagranti semper amore,
Sic amor illius mutuis ipsa fuit.
Namq; bonis animi, formæq; nitore decentis,
Non modo præcelles & ueneranda fuit.
Sed quoq; facundæ laus inclyta facta parentis,
In lucem thalami pignora multa dedit.
Ex quibus, ut patri superessent quinq; puellæ,
Tresq; Suëdorum lumina clara, mares.
Ipsa puerperij crebris exhausta periclis,
Ut commendasset seq; animamq; Deo.
Ut totamq; sui monuisset muneris Aulam,
Supremum facili clausit agone diem.

Totius

Totius & regni moestis defleta querelis,
Cuius in hoc grauius funere laesa salus,
Restituit coelis animam, terraeq; caducum
Corpus, ab hoc retinet nomen in orbe bonum.

ANNVS OBITVS EIVSDEM.

GostaI ConIvnx, Gothlae Regina, Iohannis
Margarita parens, sobria, Casta, grauis.
Herolica potens, praestans, pia & Integra, fato
Vt perit, In CVras SVeCIA tota laCet.

ALIUD.

Reginas Inter praecellens Margarita Altas
ConIvge, progeniae, fronte, Lepore, tribu,
Vt tres GostaVonatos, natasq; tVLisset
QVInq; sVas terras LinqvIt, & astrapetit.

ANNVS NATIVITATIS D. ERICI
Regis Sueciae, &c.

GostaI Regis Catharina ex ConIvge proles
Nasceris In patria LVMen ERICe tuae,

D ij Aliud

ALIVD.

*NataLEM CharI feLIX Veneret Vr ERICI
SveCIA, Gostao par erIt ILLe patri.*

ANNVS ET DIES EIVSDEM

*LVClA sCeptrIfero nataLEM portat ERICO,
QVI nltet In regno SveCIA IVsta tVo.*

IN IMAGINEM EIVSDEM.

*Hæc est effigies Suedorum Regis Erici,
Principis excelsi membra decora uides.
Sed neq; tu, cunctos licet experiare colores,
Illius ingenium pingere Coë queas.*

IN EANDEM, ANNO
ætatis 24.

*Vt Rex bisseños Sueonum geminauerat annos,
Os, oculos, barbam, talis Ericus erat.
Contigit ante diem cui laudatissima uirtus,
Ille secuturo tempore qualis erit?*

IN EANDEM EODEM AETATIS ANNO

*Cum lustris totidem uiuentis quattuor annos,
Heroum q; sacras æquiparantis opes.*

Totius

Totius hæc Sueonum species est Regis Erici,
Lumina, barba, genæ, brachia, crura, pedes.

IN EANDEM ANNO AETATIS 25.

Hæc Sueonum species Heroica Regis Erici,
Quinque suæ vitæ lustra gerentis, erat.
Emicat ex oculis animi vigor, altaque uirtus,
Qualis in eximijs Regibus esse solet.

IN EANDEM.

Ingenios mores & nobile pectus Erici,
Qui Sueonum & diui sceptrâ parentis habet;
Insignis facies, & gratia corporis ornat,
Hæc quod Apellea monstrat imago f. de.

AD REGEM IPSUM.

Ex annis quis Ericetuis te iudicet? ardor
Aethereus plenos exilit ante dies.

ANNVS ELECTIONIS EIVSDEM
in Regem Sueciæ.

VnanIMI Voto terræ totivs ERICVS
ELIGIT Vr sceptris SVeClâ CLara tVIs.

D iij AN-

ANNVS; MENSIS, DIES CORONA
tionis eiusdem
IVnIVs Vt Petri & PaVLI sVa festa sVbiRet,
VeLat ERICE CapVt SVECa Corona tVVM.

ANNVS NATIVITATIS D. IOHANNIS
Finlandiæ Ducis, &c.

NascItVr eX SVEconVM Gostao Rege Iohannes,
NataLl. SVEClis sIt saCer iLLe pLagIs.

ALI VD.

Finnoniæ PrInCeps VegetVs, sCeptrIq; Iohannes
SVECorVM Consors, GostaVI nascItVr hæres

ANNVS ET DIES EIVSDEM.

LUX Vt haberetVr Thomæ saCrata, Iohannes
NascItVr In septIs arX Stegeborga tVIs,
Finnoniæ PrInCeps, GostaVI natVs, & hæres
PerpetVVs regni SVEClia tota tVI.

IN IMAGINEM EIVSDEM.

Anno ætatis 19.

Finnonici Princeps, & Sueci limitis hæres,
Ingeminans annos post tria lustra duos.
Maximus ingenio, maior uirtute Iohannes
Corporis hic monstrat dona uenusta sui.

IN

IN EANDEM AETATIS ANNO 200

Lustra recensentis uirides bis bina per annos,
Hæredis Sueonum, Finnonicæq; Ducis,
Pectore magnifici, clari grauitate Iohannis,
Corpora non animos ista tabella refert.

IN IMAGINEM DUCIS MAGNI.

Cur hæc effigies animos oculosq; tuentum
In se sponte rapit, nec satiare potest?
An quia depicti species & honesta uenustas
Viuentis mores ingeniumq; refert?
Est siquidem Gostaue tui Rex inclyte nati
Effigies, Magni qui bene nomen habet.
Qui iam nunc uiridi quamuis adolescat in æuo,
Corde tamen magnos æquat ouante Duces.

ANNVS ET DIES NATIUITATIS
Ducis Caroli.

Egregio Sveones Vt Carolvs excitat ortvs,
Iam qvater octobrIs LVClfer ortvs erat.

IN IMAGINE M EIVSDEM.

Posterior regis Gostau Carolus hæres.
Inclyta progenies, magnificusq; puer.
D iii Eximia

*Eximta præstans & amabilis indole, cunctis
Rite placens, animo, moribus, ore, gradus.
Hic specie externam faciem simulante refertur,
Exprimitur nulla regius arte uigor.*

IN IMAGINES FILIARVM D. GOSTAVI
incliysiuedorum, &c. Regis.

IN IMAGINEM CATHARINAE.

*Pictor ut in tabula Veneris deliniat astrum,
Sed uitale iubar non adhibere potest.
Sic equidem Catharina tuos spes regia, uultus
Exprimit hic uiuo docta colore manus.
Sed niueos animi mores, roseumq; pudorem,
Tu quibus excellis, pingere nulla potest.*

IN EANDEM.

*Andromaches oculi, niuei Briseidos artus,
Alcestisq; fides, Penelopesq; pudor.
Vox Sapphus, Helenæ facies, coma Laodamiæ.
Immortale sacro carmine nomen habent.*

Et

Et partem Diuæ modo commendantur ob unam
Vlnas Iuno, pedes Tethys, & ora Venus.
At Catharina tibi cum sint hæc singula, partem
Quamlibet ut proprius iure sequatur honos.
Arguæ cedant Heroides, unica uincis
Cecropidumq; Deas, Cecropidumq; mirus.

IN IMAGINEM CECILIAE.

Fertur in Ideo soboles Priameia colle,
Vni Diuarum postposuisse duas.
Ast ego te præstans Gostavi filia Regis
Cecilie, summo præfero iure tribus.
Namq; tibi cedunt splendoribus, indole, forma,
Iuno potens, sollers Pallas, eburna Venus.
Si tu me placido defendas unica nutu,
Ambitiosa trium me nihil ira mouet.

IN EANDEM.

Ceciliæ speciem, Suecis ex Regibus orta,
Hæc spectabilibus monstrat imago notis.
Ut nix frons candet, rutilant ut Phœbus ocelli,
Vincunt ridentes blanda labella rosas.
Cæsaries aurum superat, Charitumq; uenustas
Et decus ex nitidis emicat omne genis.

Hæc

*Hæc bona naturæ pulcherrima, pulchrior ornat
Virtutum, præstans est quibus ipsa, chorus.*

IN IMAGINEM ANNAE.

*Formarum tabulam spectans hanc arbiter, in qua
Regia progenies Anna refertur, ait.
Hæc aut Euphrosynes, aut frons est uera Thaliæ,
Mortales equidem non habet illa notas.*

IN IMAGINEM SOPHIAE.

*Si spectare uelis rutilantem flore iuuentæ.
Sceptifero Sophiam de genitore satam.
His oculos infige notis, quibus addere motum
Si poteris, Sophiæ nobile corpus erit.*

IN IMAGINEM HELISABES.

*Hæc est Helisabes, dignissima Principe, formæ,
Lumina, Cæsaries, ora, labella, genæ.
Par ætate quidem, sed dispar munere formæ
Tyndaris, Aegidæ cum raperetur, erat.*

*Ex legitimo Reipub. Dantiscanæ
Gymnasio.*

153028

AB: 153028

ULB Halle

3

003 486 044




86



[Faint, mostly illegible handwritten text in a medieval script, likely Gothic or similar. The page shows signs of age, including staining and wear. Several red initials and underlines are visible.]





E L E G I A
DE ADVENTV
IN PRVSSIAM ET CI-
VITATEM DANTISCVM SE-
RENISSIMI AC ILLVSTRISSIMI PRIN-
CIPIS AC DOMINI, DOMINI IOHANNIS,
*Ducis Finlandiae, Regnorumq; Sueciae, Gothiae,
Vandaliaeq; haeredis.*

ADIECTA SVNT ET
ALIA QVÆDAM IN HONOREM
Regiae apud Suedos Familiae.

AVTORE
HENRICO MOLLERO
HESSO.

REGIOMONTI BORVSSIAE
*Excudebat Ioannes Daubmannus,
Anno 1562*

*Clarissimo viro, doctrina, virgine et sapientia
propterea Dno m. Sebastiano Theodorico,
Academiae virobergeris professori, Dno
suo colendo protheris mittit.*

